

Vos intonare? Fallor. Hoc quid iuverit
 Vel rumpere ora questibus? recepta mens
 Polo, unde quondam duxerat genus suum,
 Humana cuncta ridet atq; despicit.
 Quin vos magis VIRI sacrate gloriam
 Æternitati, laus ut ingens ac decor
 Evincat ævi injurias, & floreat
 Sol donec axe fulgido promet diem,
 Et siderum volventur orbes, ut solo
 Subinde crescat auctibus novis. Opus
 Vestrum sit hoc, SCHURZFLEISCHIO Polybistore
 Æviq; nostri ingente Luce interprete,
 Vel si quis alter in sinu tenerrimè
 Vestro educatus effluit Socraticis
 Sermonibus, dulciq; melle Nestoris.
 At Tu, poli Germen, receptus aurea
 Cœli domo, tutus quiescis in vado
 Felicitatis, cumq; JESU gaudia
 Æterna carpis, pax serena Te beat:
 Nos cura mœror ac dolor manet,
 Nos mordet atro dente livor lividus,
 Et fluctuantes inter atros turbines,
 Nunc spes fovet, nunc pendulus durè pavor
 Nos lancinat, donec Jehovab nos quoq;
 Transcribet æternum beatorum gregi.
 Vale Patrone magne! perpetuum Vale!
 Vultus Tuus nostro excidet tum pectori
 Cum sol creare desinet lucem, Vale!

Ob ingentem tanti Patroni jacturam,
 perpetui mœroris damnas pos.

Jonas Gelenius, Cruciani
 Dresd. Rector.

Ingenii famâ, meritorum culmine MAGNUS
 JACOBI extinctus: curia, templa stupent.
 Proh! accepta omni, quæ res quoq; publica luget,
 Sarciat ex voto, tristia damna DEUS.

M. Joh. Valent. Merbitz, Conr.

Quàm properante gradu TE Mors, VIR SUMME,
 prehendit?
 Læta tuo letho ficcine dicta dies?
 Ergò quid hîc cordis sunt júbila? Nubila mortis.
 Quid thalamus? Tumulus, Spesq; quid? Umbra, nihil.
 Ultimi honoris & pietatis
 ergo scribeb.

M. Johannes Brenkel /
 Cruc. Coll. Tertius.

Her-